

JOANNIS TERTII, SUECIAE RE-

gis : cufus circa tractationem pacis , cum Frideri-
co Daniae Rege inita : Anno Chri-
sti 1570.



Ericus XIII. Sueciae Rex, cum per sexennium, & quod excurrit, ad regni sedisset gubernacula, de mentis statu eo usque deiecitur, ut carceri cum mancipare necesse fuerit. Succedit ei frater Johannes Dux Finlandiae, qui ab Erico aliquot annis in vinculis detentus fuerat. Sic namque in horum fratrum successione fortunae ludebat vicissitudo: ut hic vincula pro regno: ille regnum pro vinculis acceperit. Cum verò captum jam pridem bellum an-

no toto per Johannem etiam continuaretur: Sueci bellorum diuturnitate & cladum frequentia fracti, tandem & armorum pertasi, Johanni Regi persuadent, ut pacem, quantum posset justis conditionibus, faceret. Is quamprimum missis legatis Daniae Regem sollicitat, ut interea vis abstinere, dum pax firma & rata constituatur. Commodum eodem tempore Caesarea Majestas apud utrumque Regem per legatos egerat: ut depositis simultatibus controversias a quorum iudicium arbitrio permitterent. Decimo tertio itaque Decemb. qui erat dies Luciae & Otiliae, per legatos Imperatoris, Regem Galliae, Poloniae, Electores Saxoniae & Reip. Lubecenses

inter